



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 121. Pontificis responsum ad Legatos circa hanc oppositionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI.

A.C. 1546.

§. CXXI.

Pontificis responsum ad Legatos circa hanc oppositionem.

Pallav. n 3.
 Ex lit Far-
 nesii ad Le-
 gatos 13.
 Maji.

Exiguo post tempore ad Legatos litem ræ Roma deferebantur, hujus tenoris: *Summus Pontifex non sine admiratione Toletani postulatum percepit, cum hoc estimationi Concilii obesset, & antidotum contra hæreses impediret: proin cuilibet responderent Legati: Non posse a Cæsare rei conscio id postulari, sed forte perperam edocto, ignaroque malorum, quæ exinde in Ecclesiam redundarent: Quapropter dogmatum examen prosequerentur, & ne id quidem in controversiam revocari paterentur.* Acceptis hisce Papæ jussis Legati a peccati originalis examine ex mandato Pontificis esse inchoandum, Cæsareo Oratori significabant. Hic vero, ut id præpediret, novos adhibuit conatus, remque usque ad Cæsaris responsum differri, per Cavensem Episcopum postulavit, exposuitque, consultis prius Germaniæ Præsulibus, Sedis Apostolicæ Nuntium, ut rem Cæsari proponeret, esse rogandum, ac expectandum Mendozam jamjam Patavii agentem, brevique Tridentum venturum, etsi continuo febris quarta laboraret. Hasce inducias se acceptare simulabant Legati, simulque signifi-

ficabant, quod interea pro discutiendis articulis commode conventus agi possit, ne temporis dispendium fieret. Annuerunt Cæsarei, spe freti, gravibus dubiis hinc inde motis negotium abs dubio longius protractum, vel forte omnino eversum iri, de cetero Toletanus tota hac æstate nil decidi voluit.

Sæcul XVI.
A. C. 1546.

§. CXXII.

Quæstio de Peccato originali præ ceteris discussa.

Cum igitur Legati non sine animi lætitia Oratorem saltem eo adductum cernerent, ut discutiendis fidei dogmatibus initium dari posset, die vigesima prima Maji, ac sequentibus plures coegerunt Conventus, in quibus quæstio de peccato originali proponeretur, ac proximum examen in quinque hosce articulos dividebatur. I. *De Natura Peccati originalis.* II. *De Modo, quo in posteros propagatur.* III. *De allatis ab eo detrimentis.* IV. *De ipsius remedio.* V. *Quænam esset hujusmodi remedii efficacia.*

Cum igitur de primo articulo ageretur, Pelargus Trevirensis Archiepiscopi Procurator affirmavit: *Peccatum originale situm esse in privatione justitiæ originalis, in qua antea Adamus fuerat a Deo constitutus.* Opponebat vero Canariensis

fis